

In quibus et similibus locutionibus veritatem nostræ sententiæ supponunt, licet de illa ex professo non disputent.

Unum vero est, quod in horum auctorum doctrina difficultatem ingerere potest, quia ubi tractant de certitudine et efficacia divinæ providentiæ, et concordia illius cum contingentiæ et mutabilitate liberi arbitrii creati, adeo difficultate opprimuntur, ut dicant esse mysterium inexplicabile, ut videre licet in Cajetano, 1 part., quæst. 22, art. 4, ubi nec affirmare audeat effectum a Deo prævisum esse inevitabilem, neque etiam audeat negare, et ideo nec vitabilem neque inevitabilem putat esse dicendum, sed nescio quid neutrum, vel excellentius. Quod non placuit Ferrariensi, 3 contra Gent., cap. 94, neque immerito, cum illa duo immediatam oppositionem habeant, et ideo ipse fatetur esse inevitabilem. Quomodo autem contingens sit, non declarat nisi per generalia verba, scilicet, quia Deus prævidit utrumque, scilicet, ut eveniret effectus, unde habet inevitabilitatem, et ut contingenter eveniret. Unde supponere videtur Deum sua providentiæ prædefinire ac prædeterminare omnes hos effectus in particulari. Idemque videtur supponere Cajetanus, alioqui sufficientem rationem non haberet, ut illa difficultate tam graviter premeretur.

Respondeo, etiamsi nonnulli ex his auctoribus aliter fortasse senserint, nos nihil movere; tum quia multo major est auctoritas eorum quos hætenus retulimus pro nostra sententiâ; tum etiam quia ubi nulla necessitas cogit, non oportet neque expedit mysteria fidei novis difficultatibus involvere; tum denique quia istimet auctores mentem suam non satis declarant, neque de quo decreto divinæ providentiæ seu voluntatis loquantur, cum difficultatem inveniunt in eo componendo cum nostra libertate, an scilicet sit prædefinitio interna Dei, qua ex æternitate absolute et ex se statuit talem actum in tempore fieri, vel sit volitio prædeterminandi ad extra voluntatem creatam ad talem actum, vel sit tantum voluntas offerendi concursum suum, seu concurrendi quantum est ex se. Hic autem nos solum agimus de secunda voluntate, quam ipsi non satis declarant esse de necessitate providentiæ. Unde sine tanto labore difficultatem ab eis petitam expeditimus; nam de tertia voluntate fatemur esse necessariam ad divinam providentiâ, negamus tamen inde sequi effectum esse inevitabilem, quia voluntas illa non est absoluta, sed conditionem in-

volvit. Secundam autem voluntatem negamus esse necessariam vel possibilem, salva libertate humanorum actuum. Nec pertinere potest ad providentiâ Dei ut velit duas proprietates, immediatam contradictionem involventes, simul conjungi in eodem actu, quales sunt antecedenter posse non facere illud, et antecedenter non posse vitare illud; prima enim necessaria est ad libertatem actus, secunda vero necessario sequitur ex inevitabilitate per physicam prædeterminationem. Et sic absolute negamus hos effectus divinæ providentiæ esse hoc modo inevitabiles. De prima vero voluntate negamus imprimis esse necessariam circa omnes et singulorum actus, qui cadunt sub divina providentiâ, ut maxime patet in actibus peccaminosis, circa quos nec datur talis voluntas Dei, nec dari potest, non propter contingentiâ, sed propter malitiam quam adjunctam habet. Fatemur tamen illam voluntatem esse possibilem circa bonos actus, salva contingentiâ eorum; quia licet, posita illa voluntate, certo et infallibiliter futuri sint, non tamen sunt simpliciter inevitabiles a causa secunda, sed solum certo non evitabuntur ex sapienti directione divinæ providentiæ. Et licet in sensu composito possint dici inevitabiles, posita tali voluntate, illud ipsum est sine præiudicio libertatis; quia suppositio illa non est omnino antecedens, sed consequens ratione præscientiæ.

Quod ergo ad Cajetanum attinet, videtur certe loqui de voluntate tantum præfiniente in divina intentione, nam, de voluntate concurrendi cum voluntate creata ad actum liberum, cum aliis in locis ipse doceat non esse prioritatem propriam naturæ et causalitatis inter concursum Dei, et influxum liberi arbitrii, plane sentit divinam voluntatem, sub hac consideratione, non se habere antecedenter, sed concomitanter ad liberum arbitrium creatum, nec decretum voluntatis divinæ, ut sic, quamvis æternum, esse omnino absolutum, et per se solum efficax alicujus effectus extra se, sed esse aliquo modo conditionatum et quasi expectans influxum liberæ causæ: atque ita non erat cur illa difficultate adeo premeretur. Igitur verisimile est præcipuam vim facere in voluntate præfiniente, quam ad minimum supponit esse possibilem circa nostros actus liberos, et saltem in tota latitudine providentiæ divinæ esse necessariam, quidquid sit, an etiam ad singulos actus requiratur, quod illi attribuire non possum, quia nulli in ejus doctrina lego, et de actibus sal-

tem malis non existimo posse cum probabilitate, imo nec cum pietate affirmari, et illud prius sufficit ad ingerendam difficultatem a Cajetano in præsentis loco tractatam. Quæ nos media conditionata scientia utcumque expendimus; Cajetanus vero nullam illius scientiæ mentionem fecit, atque adeo, neque ad hanc difficultatem expediendam illa usus est, ideoque nullum exitum nullamve intelligibilem responsionem illius difficultatis invenit. Quod non parum sententiâ nostram commendat. Neque auctoritas Cajetani cogit nos ut ejus difficultatibus involvamur.

De Ferrariensi autem, quamvis in dict. cap. nihil declaret, tamen ex his quæ dixerat eodem lib. tertio, cap. septuagesimo, satis constat eum posuisse in concursu primæ causæ, ut sic, motionem præviâ primæ causæ in secundam per aliquid inhærens ipsi causæ secundæ, quod vocat intentionem solam virtutis divinæ, habentis esse incompletum, per modum quo colores sunt in aere et virtus artis in instrumento. Unde sicut virtus artis solum est in instrumento quando artifex eo utitur ad operationem artis, ita hæc vis causæ primæ solum est in causa secunda quando actualiter operatur, tanquam divinæ virtutis instrumentum per eam ad opus applicatum. Quibus adjungendo quæ in altero c. 94 docet, plane sentit per hanc intentionalem vim inevitabiliter præmoveri liberum arbitrium creatum ad suos actus eliciendos. Nescio tamen an ille auctor præviderit innumera incommoda et absurda quæ ex illo dogmate sequuntur, et ideo excusandus potius est quam imitandus, præsertim cum nullum afferat solidum fundamentum quo nobis necessitatem illius intentionalis virtutis seu qualitatis persuadeat, sed solum affert testimonium quoddam D. Thomæ, in quæstionibus de Potentia, quod nos credimus in posterioribus retractasse, ut alio loco latius diximus.

## CAPUT XLIII.

DE MODERNIS AUCTORIBUS, PRÆSERTIM QUI CONTRA HÆRETICOS SCRIPSERUNT.

Cogimur etiam de sententiâ horum auctorum pauca dicere, quia modernus quidam scripsit sententiâ illam de physica prædeterminatione receptam esse ab omnibus Theologis, tam antiquis quam recentioribus, exceptis quibusdam aretologis. Et iterum ait nullum Theologum hoc nomine dignum negasse sen-

tentiâ de physica prædeterminatione. Duo igitur breviter probabimus: primo, per nonnullos auctores modernos, quos ego in libris de Auxiliis adduxi, et nunc in contrarium citantur, discurremus; deinde nonnullos alios adjungemus.

Ut ergo sermonem de Thomistis prosequamur, utraque sententiâ conatur in suum favorem adducere M. Soto, quem ego retuli l. 1 de Natura et grat., c. 16, et nunc ab aliis in eodem loco pro contraria refertur. Sed profecto negari non potest quin et illud asserat quod retuli, et quod in eo plurimum nostræ sententiæ faveat. Dixi ergo illum asserere motionem, qua Deus concurret ad actus nostros liberos, non procedere a voluntate ejus absoluta et beneplaciti de qua dictum: *Voluntati ejus quis resistet?* quod sine dubio fideliter allegatum est. Nam hoc modo solvit argumentum quod, si voluntas possit divino concursui resistere, posset etiam resistere divinæ voluntati. Respondit enim negando sequelam, intelligendo consequens de voluntate absoluta et beneplaciti cui homo non potest resistere. Nam quando Deus (inquit) cum libero homine concurret, non vult illud fieri (utique absoluta voluntate beneplaciti) nisi salva humana natura et libertate (id est, sed inclusa tacita conditione: Si homo cooperari voluerit), et idcirco potest liberum arbitrium tunc resistere; quem locum ita explicuit et denuo confirmavit idem Soto, in fine 4 Sententiarum, ut annotavi latius lib. 3 de Auxiliis, cap. 13, in fine.

Ad hæc vero quæ ego adduxi, nihil ab aliis in particulari responsum est, neque etiam in speciali designant aut expendunt in eo capit. id in quo nobis repugnare ipsis videtur; fortasse id dicunt propter illa verba: *Non dubium quin concursus Dei sit cuicumque causæ secundæ requisitus ad agendum, imo vero et natura prærequisitus, quoniam non solum Deus est causa effectus secundæ causæ, sed etiam movet eam ad agendum.* Item quod inferius ait, opera gratiæ, quæ motum liberi arbitrii designant, non prius tempore a Deo quam libere a nobis, sed simul ab eo et a nobis fieri, ab eo tamen prius natura. Hæc autem et similia verba intelligenda necessario sunt juxta superiora et subsequentiâ, ne contradictio inter ea inveniatur. Nam inferius expresse ait non esse aliud me Deum hoc modo movere, quam mecum concurrere ad eliciendum liberum actum. Quod ergo ait, concursum Dei esse naturam priorem, intelligendum est juxta explicationem a Cajetano et



aliis datam, de prioritate independentiæ et perfectionis. Et ob eandem causam appellatur motio causæ primæ in secundam, quia datur ei propter indigentiam ejus et adjuvandam illam. Unde dupliciter potest hic concursus Dei considerari, primo, ut oblati voluntati creatæ ex parte Dei; secundo, ut actualiter datus et a voluntate jam receptus. Priori modo videtur consideratus a Soto, quando dicit esse prius natura prærequisitum, nam de eodem subjungit: *Quamvis ille concursus sit prærequisitus, nihilominus illo posito etiam est in potestate voluntatis agere et non agere.* Quod non potest intelligi de concursu actualiter in homine recepto, nam repugnat illud esse in homine non actu agente, ut paulo inferius ipse subjungit. Quod ergo ad rem spectat, nullam motionem præviam ad nostrum consensum ponit ibi Soto, quam Deus se solo prius faciat, et illa posita homo non possit ei resistere. Sed aperte sentit hoc repugnare libertati.

Secundo citatur Vega, lib. 2 in Trident., cap. 17, ubi leviter quidem, aliquid tamen de hoc puncto attingit, et in eo nostræ sententiæ potius favet, dum ait Deum et liberum arbitrium ita simul producere actum liberum, ut totus sit ab utroque et a neutro totaliter, licet a Deo sit ut a principaliori causa. Et inferius exponit, Bernardum, dicentem liberum arbitrium tantum esse capax salutis, cujus Deus est auctor, non negare liberam nostram cooperationem necessariam esse. Refertur præterea in lib. 6, cap. 5, 6, 8 et 9. Sed in illis locis plane tradit duo principia, quæ repugnant cum physica prædeterminatione. Unum est, omnem gratiam necessariam ad supernaturales actus in excitantem et adjuvantem sufficienter distingui. Aliud est, excitantes gratias fieri a Deo in nobis sine nobis, et ideo semper posse liberum arbitrium illis resistere, indeque sæpe fieri ut, qui majorem excitantem gratiam habet, minus operetur. De adjuvante autem gratia dicit semper esse ex parte a nobis, et nostræ libertati semper subjacere quæ per gratiam adjuvantem Deus in nobis facit. Quem ergo locum reliquit Vega prædeterminationi physicae? Nam si ad gratiam prævenientem pertinet, Deus solus illam in nobis facit, situmque in nobis est, illa non obstante, non consentire, quod et nomini et rationi determinationis physicae repugnat. Si vero pertinet ad gratiam adjuvantem, subiacet libertati nostræ, et est ex parte a nobis, et non a solo Deo, quod nos contendimus, ut

salvemus libertatem. Unde in fine illius cap. 8, pro constanti habet Patres Concilii docuisse nos libere nos habere in assentiendo, et cooperando nostræ vocationi: *Et quod idem est (inquit) in movendo nos ad justitiam, postquam a Deo sumus gratis vocati.* Nullum ergo agnoscit medium inter vocationem ad justitiam cui resisti potest, et motionem ad justitiam cui jam libertas cooperatur. Alia multa in illis capitibus expendi possunt, quæ attigi lib. 3 de Auxiliis, c. 14; ubi etiam exposui quædam verba capituli 6, quæ in suum favorem alia sententia convertere potest. Sic enim de Deo scribit: *Neque contentus excitare quadam nobis ignota suæ virtutis applicatione, et nostræ voluntatis magnifica inclinatione et inflexione, benigne nos adjuvo, ut consentiamus et obediamus vocationi suæ.* Verumtamen si hæc verba referantur ad gratiam prævenientem, quam Deus solus in nobis facit (ut citato loco ea nos intelleximus, et ab eodem Vega insinuatur eodem cap. 1), nomine excitationis specialiter intelligit illam quæ per illuminationem et motionem intellectus fit; inclinationem autem et inflexionem voluntatis vocat eam quæ fit per indeliberatas affectiones et inspirationes quibus voluntas suaviter ad consentiendum applicatur. Possent etiam illa verba dici de gratia adjuvante, nam per eam revera Deus inflectit et inclinat voluntatem, non tamen solus, nec sine ipsa, nam sicut recte dicitur Deus determinare voluntatem, quando ipsa se determinat, quia necesse est ut Deus immediate et actualiter faciat determinationem qua ipsa se determinet, ita quando ipsa se inflectit et inclinat, Deus illam inflectit et inclinat, quia in ipsa facit eandem inflexionem et inclinationem, et similiter eam applicat, quando ipsa se applicat.

Præter hæc, addere possumus ea quæ de hoc argumento disserit idem Vega, l. 12 in Trident., cap. 22, ubi tractat de necessitate gratiæ ad implendum præceptum et vitandum peccatum, et proponens objectionem Pelagianorum, quomodo nobis imputetur peccatum, si non sit in potestate nostra vitare illud, nec possit cuiquam imputari, quod non sit ab illo evitabile, respondet in summa ita quidem esse, quod non imputatur nisi quod vitari potest, sed vitari posse non per solum liberum arbitrium, sed per auxilium Dei, qui volentes paratissimus est adjuvare; etiam subjungit omnia sequentia verba: *Ne scandalum obijciatur infirmis, et impediri ea causa*

*contingat, aut certe languescere studia virtutis, cuperem hoc clare, distincte tradi, perinde esse in nostra potestate omnia exercitia virtutum, ad quæ credimus esse necessariam Dei specialem gratiam, ac si solus generalis Dei concursus sufficeret, imo ac si non esset nisi sola nostra voluntas ad ea omnia requisita.* Videant qui dicunt prædeterminationem esse necessariam, et non esse in nostra potestate, an possit hic auctor cum eis sentire, qui magis se declarans, subjungit inferius: *Tam potenter fecit, propter suam summam sapientiam et misericordiam, nostram voluntatem, et tam admirabiliter suum omnem concursum, et omnem suam scientiam, et prædestinationem, et voluntatem illius arbitrio subiecit, ut possit ipsa de se quidquid voluerit, et statuere per se censi posse, quæ per unum ipsum specialiter adjuvantem potest.* In quibus verbis tam multa dicit, ut necesse nobis non sit omnia probare. Illud satis est quod concursum Dei dicit esse subiectum voluntati nostræ; quod sano modo intelligendum est, quia ita nobis offertur, ut sit in potestate nostra illo uti vel non uti, seu facere effectum illius, vel impedire. Et eodem sensu voluntatem Dei ait esse subiectam nostræ libertati; quod intelligendum est de voluntate Dei necessaria ad nostras actiones, quæ ita se accommodat nostræ in ordine ad actiones liberas, ut illius influxum expectet, quo sensu dicitur quodammodo se illi subiacere. Hæc ergo omnia valde aliena sunt a prædeterminatione physica.

Similia vero habet idem auctor in opusc. de Justificatione, q. 11, circa finem, quamvis alia ibi addat quæ sententiam ejus obscuriorem reddunt. Nam sic inquit: *Quamvis in potestate nostra sit facere ut Deus concurrat nobiscum ad penitentiam, possumus enim penitere, hoc autem sine suo concursu fieri non potest* (in quibus verbis videtur nostram sententiam docuisse); subjungit vero statim: *Tamen non possumus facere ut Deus sic concurrat nobiscum ad penitentiam, ut concursus ipsius limitetur a nostro, et posterior sit nostro.* In quibus verbis, licet hoc ultimum verissimum sit, quia non potest voluntas nostra prius operari quam Deus cum illa concurrat, alias sola operaretur, quod ei repugnat, nihilominus quod Dei concursus limitetur a nostro, non videtur posse consequenter negari ab illo auctore, cum dicat concursum Dei esse positum in nostra potestate, et quodammodo illi subiectum; sicut ergo potest homo facere ut concursus Dei actu non ponatur, ita potest facere

ut sit major vel minor, et hoc est limitare illum; sed difficilius est quod subdit: «Semper enim causa prima plus influit in effectum, et plus agit quam causa secunda, et facit eam causare, et non e contrario. Et quemadmodum, quando concurrat Deus nobiscum solum generaliter, licet in potestate nostra sit scribere cum volumus, et facere consequenter ut Deus nobiscum concurrat ad scribendum, tamen nunquam scribimus quin Deus prius natura moveat manus nostras ad scribendum quam nos ipsi, ita et in concursu speciali intelligendum est, licet in potestate nostra sit dolere de peccatis nostris, et consequenter facere ut Deus ad dolendum nobiscum concurrat, tamen nunquam dolebimus nisi præcedente gratia divina nostra opera, et movente voluntatem ad eum dolorem.» Quæ verba videntur multum favere contrariæ sententiæ. Nam licet hæc ultima, intellecta de gratia præveniente et ita movente seu præmovente voluntatem nostram, certissima sit, tamen auctor loqui videtur de ipsomet actuali concursu gratiæ: alias exemplum quod adducit de generali concursu non esset ad propositum. Difficillimum autem est quomodo jungat illa duo, quod concursus Dei sit in potestate nostra, et aliquo modo ab illa pendens quoad hoc ut in re ipsa ponatur necne, et nihilominus quod prius natura nos moveat. Quare necessarium est hoc intelligere de prioritate naturæ, solum quoad independentiam et primam radicem illius concursus. Potest enim dici prior concursus quia primitus ab ipso Deo inchoari debet; nam oportet ut prius Deus voluntati illum offerat, ut præparet eo modo quo vult, et ob eam causam non dicitur ita proprie concursus Dei limitari ab homine; limitatur enim ab ipsa voluntate Dei; nam licet requiratur conditio ex parte liberi arbitrii humani, hanc eandem conditionem ipsa divina voluntas posuit. Et eadem ratione potest dici causa prima præire causam secundam in suo concursu, quia illum prius offert causa prima; et ita possunt aliæ locutiones accommodari, quamvis revera aliquæ sint improprie, et non debeant semper usurpari, præsertim in actibus qui mali sunt.

Tertio, refert ille auctor pro sua sententia Cordubam, l. 4 suarum Quæstionum, quæst. 55, dub. 10. Sed mirum est cur eum locum referat, cum illo expresse doceat voluntatem illam, qua Deus concurrat cum voluntate creata, non habere efficaciam et determinationem nisi prius accedat determinatio nostræ



voluntatis. In qua sententia adeo est constans Corduba, ut eam ob causam recedat ab opinione Scoti, dicentis Deum cognoscere futura contingentia in prædeterminatione suæ voluntatis; quia voluntas Dei qua vult concurrere non sufficit ad cognoscendum actum esse futurum, nisi etiam præcognoscatur determinatio libera futura humanæ voluntatis; non potest autem hæc determinatio præcognosci in sola Dei voluntate, quia non præcedit talis divina voluntas, ut ipse opinatur. Propter quod ego pro mea sententia retuli Cordubam, lib. 1 de Auxil., c. 14, in fin. Imo adverti plus dicere quam necesse sit et quam veritas patiat. Dixit enim in signis æternitatis prius videre Deum determinationem futuram humanæ voluntatis, quam velit concurrere cum illa ad talem actum determinatum; hoc enim impossibile est; non potest enim Deus videre determinationem voluntatis humanæ nisi videat concursum suum; non potest autem videre suum concursum, nisi præhabuerit voluntatem concurrenti, cum concursum illum libere operetur. Satis ergo est quod voluntas illa concurrenti non sit efficax antecedenter, sed concomitanter tantum. Et eandem doctrinam habet Corduba ibidem, dub. 8, et inculcat in 4, et fere per totam quæstionem illam.

Quarto, refert ille modernus auctor pro sua sententia Richardum, art. 7, contra Lutherum, pag. 103 et 281; in impressione autem qua nunc utor, quæ est Lovaniensis, anni 1555, articulus ille incipit a p. 285, materiam vero hanc incipit tractare Richardus in p. 303. Circa hæc est difficultas perplexa, et in discursu illius saltem docet determinationem non esse necessariam, neque inter gratiam præviā inspirationum, et actualem concursum intercedere aliquam efficacem gratiam mediam. Unde in septima propositione sic inquit, p. 307: *In eo qui sequitur vocationem credendo vel penitendo, et in alio qui eam negligit, potest esse idem conversionis et fidei principium, hoc est eadem illuminationes et inspirationes, adeo ut ex sola eorum libertate unus negligat vocationem et ideo non credat, nec convertatur Deo ad hoc propter ejus negligentiam non cooperante, et alter credat et convertatur ob suam diligentiam, qua ad verbum Domini auscultat, et ideo conversionem ejus efficaciter Deus operatur. Nec in isto differentia est inter opera salutis et moralia aut naturalia: in eo enim qui vult ambulare Deus cooperatur, et si non vult, Deus*

*non cooperatur, nec tamen* (quod verbum notandum est) *aliquid positum absolutum est ante actionem in uno quod non sit in alio, et ubique est eadem voluntas ac liberum arbitrium per gratiam aut naturam operans.* Ubi evidenter tollit præviā motionem, mediam inter actualem concursum, et potentiam liberam sufficienter constitutam in actu primo, et in operibus gratiæ solum ponit differentiam quoad necessitatem præviæ motionis per illuminationes et inspirationes; quod putat necessarium, ut in operibus etiam gratiæ salvetur liberum arbitrium. Unde subjungit: *Regulariter enim Deus non flectit voluntatem ad alteram contradictionis partem determinate nisi suasionem et inspirationem, quas semper liberum est homini sequi et negligere, per quas ipse operatur in nobis velle et perficere.* Ubi clare sentit quod si hoc non esset liberum homini, scilicet, sequi et negligere inspirationem, nec velle ipsum esset liberum. Id ipsum late prosequitur infra, proposit. 10, et ad finem ejus refert et sequitur scholasticos asserentes, inter causam primam et secundam, dum eidem actioni cooperantur, non esse ordinem causalitatis, sed perfectionis et independentiæ. Et prius p. 300, eandem difficultatem attingens de concordia gratiæ efficacis et liberi arbitrii, per congruam vocationem cum Augustino illam declarat. Magna ergo licentia est auctorem hunc pro sententia contraria referre, et ex illo potest argumentum sumi, ut intelligatur qua fide alii referantur, et ideo circa illos non ita immoramur; nam si vel unum verbum de gratia efficaci in eis inveniatur, vel de necessitate divinæ præmotionis ad opera gratiæ, statim ei physica prædeterminatio attribuitur.

Quinto igitur eodem modo refertur pro illa sententia Driedo, de Captivitate et redemptione gener. human., l. 1, tract. 6, c. 2, et lib. de Concordia liberi arbitrii cum prædeterminatione, 1 p., capite tertio, ad primum, et capite quarto. Quibus locis asserere dicitur Deum prius natura agere opus liberi arbitrii quam ipsum arbitrium, Deumque movere et determinare, attrahere liberum arbitrium tanquam instrumentum suum; quæ omnia pro arbitrio vel affectu opinantis relata sunt, nam Driedonis doctrina eadem omnino est quæ Richardi, quam ipse late explicuit in locis alias a me citatis, sumptis ex eisdem libris de Concordia, c. 3, in solutionibus argumentorum, et de Captivitate et redemptione gen. human., tract. quarto, c. secun-

do, p. 5, et tract. quinto, cap. quarto, præsertim ad ultimam confirmationem secundi argumenti. In priori ergo loco in contrarium citato, nihil docet his quæ prius tradiderat contrarium; nam ex duabus partibus quas habet caput illud secundum, prior nihil omnino de hac causa attingit; in secunda vero multis exemplis declarat necessitatem gratiæ respectu liberi arbitrii. Cum autem voluntas soleat censeretur instrumentum gratiæ, quæ denominatione libenter usurpatur a Doctoribus qui physicam prædeterminationem defendunt, Driedo e contrario prævenientem gratiam comparat instrumento seu baculo dato voluntati, ut eo libere uti vel non uti valeat, ita tamen ut Deus semper adsit, paratus juvare ad talem usum; in aliis vero comparationibus quas ibi affert, explicat quidem quomodo ad aliquos actus Deus non solum ducat, sed etiam trahat voluntatem, et illam dirigat et gubernet; omnia tamen explicat per excitantes gratias, juxta doctrinam Augustini; determinationem autem physicam nunquam insinuat, neque etiam in alio loco, in quo solum ait præscientiam et prædestinationem non tollere libertatem.

Sexto, non majori fide refertur Franciscus Carthagensis in opusculo de Prædestinatione, discursu 4 et 6, eo quod dicat divinum auxilium esse præviū et præveniens, et efficere in nobis etiam nostram determinationem. Sed ille auctor expresse declarat Deum non efficere determinationem sine nobis, et ex professo probat, in illo discursu 4, determinationem voluntatis humanæ non esse ex sola actione Dei.

Septimo refertur Jansenius in Concordia, c. 59, circa illa verba Joan. 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum;* sed ille nihil scholasticæ disputat de hoc puncto, solumque dogma fidei de necessitate prævenientis gratiæ, et quod initium salutis sit ex Deo, et non ex nobis, juxta Augustini doctrinam declarat. Unde differentiam inter eum qui trahitur, et illum qui non trahitur, ait non esse referendam in ipsos homines, sed in Deum; quod intelligendum est secundum prædestinationis ordinem, nam secundum executionem expresse ibi fatetur eum qui non trahitur, ideo non trahi quia obicem et impedimentum ponit divinæ tractioni, dum acceptis a Deo bonis non bene utitur, aut media ad conversionem data non amplectitur. Non igitur negat nec negare potest ex libero arbitrio pendere, quod tractio Dei effectum ha-

beat, quamvis præparare homini accommodatam tractionem in præscientia Dei, solius sit gratiæ et liberalitatis divinæ; nullus ergo ex dictis auctoribus illam sententiam docet, imo multi eorum contrariam aperte tradiderunt, alii insinuaverunt, alii generatim tantum locuti sunt.

Ultra hos referuntur pro hac sententia moderni scriptores Thomistæ, quos non solum assertores, sed etiam inventores ejus esse fatemur, quamvis nec omnino inter se conveniant, nec semper constanter loquantur. Bannes enim, Medina et alii, ut defendant illud genus motionis in actibus supernaturalibus, ad essentialem subordinationem causæ secundæ ad primam illam reducunt, ideoque non minus in bonis quam in malis actibus putant esse necessariam. Quam sententiam esse certissimam dixit Bartholomæus Medina 1. 2, quæst. 9, 109, art. secundo in fine, sine ulla tamen probatione, et fatendo sententiam contrariam fuisse a Capreolo approbatam. Quam postea Franciscus Cumel, 1 p., quæst. 22, art. quarto, in appendice, conclusione quinta, tam asseveranter affirmat, ut dicat contrarium neque esse verum, neque sacræ doctrinæ consonum; imo, quod mirabilius est, in eadem 1 p., q. 14, art. 13, disputat. tertia, ita de libertate arbitrii scribit: *Cum voluntas suapte natura sit causa libera in cujus potestate est velle aut nolle, aut continere omnino actum, et nihil velle, in quocumque temporis momento, aut puncto existat; in eo priori ejusdem puncti in quo cum fundamento in re concipitur voluntas, ut naturæ ordine antecedens suum actum, in facultate ipsius est vel nihil omnino agere, vel volitionem aut nolitionem eligere, prout maluerit. Quo fit ut, ad quodcumque temporis momentum deveniat voluntas, prius natura quam se determinet pro innata sua libertate ad aliquid predictorum, potestatem habeat non ad volendum quidem, et non volendum unum idemque objectum simul in eodem puncto temporis, sed facultatem habet pro illo priori, ut indifferenter velit aut nolit, vel ut ab omni actu pro illo instanti cesset. Hæc est sententia D. Thomæ quam etiam sequitur Scotus.* Per quæ verba tam clare rejicitur determinatio præveniens, et proveniens ab extrinseco agente, tribuiturque ipsi voluntati se determinanti pro innata libertate, ut phrasim Molinæ redolere videatur. Nec dici potest loqui ibi auctorem illum de libero arbitrio secundum se, et non prout movetur ad opera gratiæ; nam ibi explicat quid per se et intrin-



sece necessarium sit ad usum liberum voluntatis. Quare cum negare non possit etiam in operibus gratiæ proprie et vere servari liberum usum, negare etiam non potest quin verba opera gratiæ, etiam libera, comprehendant. Quomodo vero aliis locis tam acriter invehatur in eos qui physicam prædeterminationem negant, ipse viderit.

Ultimo addimus, præter auctores quos pro nostra sententia retulimus in libris de Auxiliis, omnes fere modernos Doctores qui contra hæreses hujus temporis scripserunt, et hanc controversiam attigerunt, ab illa sententia quæ alicui prævenienti gratiæ (quo nomine comprehenditur omnis gratia quam Deus solus facit, et per eam facit ut homo faciat), a sententia (inquam) quæ huic gratiæ talem ac tantam efficaciam tribuit, ut voluntatem ex se et sua vi ad consentiendum determinet, ita ut voluntas non possit ei resistere, vel (quod perinde est) ut infallibile sit quod ei non resistet ex potenti efficacia talis gratiæ, omnino abhorreere, nam putant esse eandem cum sententia Calvinii, vel tam propinquam, ut non possit una sine altera defendi. Singulorum autem auctorum loca et verba hic referre prolixum esset; nonnulla tamen loca insinuabo, quæ magis ad causam agere videbuntur. Legi ergo potest Joannes a Bononia, in lib. de Prædestinatione, impresso anno 1555, fuitque unus ex Episcopis qui Concilio Tridentino interfuerunt, et inter alia refert fuisse illam sententiam discussam in Concilio Tridentino et a Patribus rejectam, ipseque censet non differre ab errore Calvinii. Atque hoc ipsum repetit sæpe Stapletonius, qui videndus est toto libro quarto de Justificatione, et in Promptuario Catholico, præsertim feria 6 hebdomadæ primæ Quadragesimæ, et feria 2 hebdomadæ tertiæ, et in Antidoto contra Lutherum, ad c. 15 Joannis, et super Acta, c. 8, et super Epist. ad Rom. sæpe; et hic auctor inter alia dicit Deum, postquam pulsavit per gratiam prævenientem, expectare ut aperiatur ei. Præterea Orantius, in locis Catholicis, l. 1, c. 52 et 56, ubi inter alia dicit esse dogma Calvinii, non esse nostri juris, postquam Deus pulsavit, gratiam ejus irritam facere, aut cooperari illi; unde capite 37 dixerat ex voluntate proficisci quod alii perseverant, alii non ita: *Si quaeratur* (inquit) *cur iste admonitioni pareat, cum ille alius ea ad discutiendum torporem non utatur, non ego exclamabo, sed liberum arbitrium in causa fuisse cum Augustino, Hieronymo,*

*Chrysostomo, et cum universa Ecclesia dicam.* Idemque habet Albertus Pighius, lib. 5 de Libero arbitr., in princip., et Turrianus, libr. 4 pro Epist. Pontific., c. 2, et Franciscus Balcharius, Episcopus Methen., libr. contra Calvin. Præterea Cardinalis Contarenus, in lib. de Prædestinatione, adeo favet huic sententiæ, ut excedere videatur, dicens non ex gratiæ efficacitate, sed ex nostra voluntate pendere, quod, tangente Deo cor hominis, cordis durtia rumpatur; intelligit autem non ex gratia, id est non ex sola gratia, vel non ex tali ejus efficacitate, cui non possit liberum arbitrium resistere. Usurpat enim modum quemdam Chrysostomi, homil. de Convers. Pauli, dicentis ea salutis media, quæ alioquin efficacia sunt, et per voluntatem Dei præstantur ad nostram salutem, nihil proficere nobis nolentibus; non quia voluntas Dei infirma sit, sed quia cogere neminem vult. Per quæ ultima verba significat, ad conservandam libertatem, necessarium esse temperamentum hoc in prævenienti gratiæ efficacitate. Quam sententiam usurpavit etiam Budeus in Compendio Theologicarum controversiarum, l. 7 de Gratia et lib. arb., art. 7, et in Scuto fidei, tit. 10 de Lib. arb., propositione 4. In eadem sententia est Delphinus, l. 1 de Rerum eventu, et l. 4 de Lib. arb., et l. 5 de Justificatione, et l. 2 de Prædestinatione, ubi etiam videtur excedere, dicens quod unaquæque voluntas non aliunde, sed ipsa determinat seipsam. Per particulam autem *non aliunde*, non excludit Dei adjutorium, sed absolutam efficaciam extrinsecam. Similiter Cuneus, lib. de Gratia et lib. arb., c. 20, ubi, inter alia, ait concursus causæ primæ non esse aliquid prævium in causa secunda, ac proinde utramque causam simul concurrere, solumque primam dici priorem, quia superior est, a qua inferiores pendent. Et ibi etiam laudat sententiam Ruardi, dicentis ex duobus similiter vocatis unum posse converti, et non alium, pro sua libertate. Quia vero Ruardus addidit particulam *sola*, ipse bene declarat illam particulam solum excludere aliam prævenientem gratiam, non Dei cooperationem, quæ simul incipit et desinit cum libero voluntatis opere. Sic etiam Joannes Maria Verratus, in Apologia contra fautores Lutheranorum, dicit, in illa sententia, libro de Ecclesiasticis dogmatibus: *Initium nostræ salutis Deo miserante habemus: ut vero acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; quod est solius Dei, sci-*

*licet initium salutis, aliud quod est in mera facultate nostri liberi arbitrii, scilicet acquiescere.* Ubi videtur excedere in illa particula *mera*, sed eandem habet intelligentiam, quia non est posita ad favendum Pelagio, sed ad contradicendum Calvino. Non ergo excludit adjuvantem gratiam, sed prædeterminantem. Eandemque sententiam, et eodem modo exponendam habet Raphael Venustus, fol. 22, et Th. Clisius, Dominicanus, quæst. 4 de Lib. arb., art. 8. Præterea Julius Sirenus, in compendio de Prædestinatione, l. 2 de Reprobatione, c. 18, ejusmodi prædeterminationem discrete excludit. Ac denique Jodocus Clitoveus, ad 5 Lutheri art., c. decimo de Libertate humani arbitrii, falsum et impium dogma appellat illud, quod Deus inducit et intorquet voluntatem nostram. Videri etiam potest Franciscus Romeus, Generalis Dominicanorum, lib. de Libertate et necessitate operum; Joannes Maria Cappella, lib. de Concordia libertatis humanæ cum Dei præscientia, p. 4, c. vigesimo sexto, et p. 2, c. quinto, sexto et septimo; Felicianus Capitonius, in Explicationibus Catholicis, p. 2, explicat. 55; Petrus Aurelius Sanctius, in recenti Lutheranorum impugnatione, progress. 3.

## CAPUT XLIV.

RESPONDETUR AD QUASDAM OBJECTIONES QUÆ VULGO CIRCUMFERUNTUR CONTRA DOCTORES QUI PHYSICAM PRÆDETERMINATIONEM IMPUGNANT.

Præsertim huic opusculo finem imponamus, satisfaciendum est quibusdam objectionibus, quas in duo capita dividimus. Unum est peculiare de objectionibus contra nostrum prius opusculum de Auxiliis, de quibus in cap. seq. dicemus. Aliud est de quibusdam aliis quæ generatim contra nostram sententiam objecta sunt, præsertim in quodam scripto quod per Hispaniam, Italiam, Galliam et Germaniam in multorum manibus circumfertur; in quo præcipue fit collatio inter sententiam nostram et Pelagianorum, et similes esse arguuntur, tum in assertionibus quas continet, tum in impugnationibus contrariæ sententiæ.

Objiunt ergo primo, non solum quod ex nostra sententia sequatur, sed etiam quod asseramus Deum neminem prædestinare absoluto decreto et efficaci suæ voluntatis, antecedente humanam operationem prævisam per

scientiam, alias tollere libertatem arbitrii. Hoc autem fuit unum ex dogmatibus reprehensis in Pelagio. Primum probant ex Molina in Concordia, quæst. 23, art. 4 et 5, et disp. 1, memb. 6, § *Multi*, et ex Suarez, l. 1 opusc., cap. 12, num. 2, § *Prima ratio*, et num. 4, § *Jam ergo*, et expressius l. 3, c. 19, n. 20, § *Hinc dicitur*, et l. 2 de Scientia, c. 6, n. 7. Secundum autem probant ex Augustino, l. 2 contra duas epist. Pelagianorum, et l. 4 contra Julian., c. 8, et de Semipelagianis, ex Prospero, Epist. ad Augustinum, versic. *Neminem itaque*, et ex Augustino, de Prædestinatione Sanct., c. 18.

Ad hanc objectionem late a nobis responsum est in proprio opere de Prædestinatione, l. 2. Nunc breviter dicitur primo sermonem esse posse de præscientia futurorum operum humanorum, vel absolute futurorum, vel tantum sub conditione: Si hoc vel illud Deus faciat. Si priori sensu intelligitur objectio, falsum manifeste nobis imponit, quia neque id dicimus, ut evidenter constabit citato loco; neque id sequitur ex nostra sententia. Quia potius requirimus decretum illud absolutum, ut scientia, quæ ante illud erat tantum conditionata, transeat in absolutam. Unde verba mea in illo loco, qui tanquam expressus citatur, sunt: *Licet Deus illud decretum præhabeat antequam prævideat merita per usum liberum absolute futura, necessario tamen supponit scientiam conditionatam istius.* Si autem loquantur tantum de scientia conditionata, debet fideliter id explicari, quia cum simpliciter dicitur prævideri futura opera ante propositum prædestinationis, plane significatur prævideri ut absolute futura. Et ideo, illo secundo libro de Scientia, expresse animadverti propositum circa electos supponere scientiam meritorum, non ut futurorum simpliciter, sed ut possibilem ex gratia Dei, et consequenter futurorum sub conditione: Si Deus velit tale auxilium homini præstare.

In hoc ergo sensu concedimus sequelam, et assertionem illam, non solum veram et necessariam, sed etiam certam et expressam D. Augustin. esse credimus; imo etiam evidentius sequi ex sententia argumentis quam ex nostra. Quæ omnia in dicto libro de Prædestinatione late probavi. Ratio autem horum a priori est, quia illa scientia non postulatur, ut illa opera sic præscita possint esse ratio meritoria aut motiva ad propositum prædestinationis, nam ad hoc necessaria esset præscientia absoluta, sed requiritur ut voluntas